

**1991-01-09- CIC - Decretum 'Postquam Athenaeum Romanum Sanctae Crucis' - LT**

N. 77/91

CONGREGATIO  
DE INSTITUTIONE CATHOLICA  
(DE SEMINARIIS ATQUE STUDIORUM INSTITUTA)

DECRETUM

Postquam Athenaeum Romanum Sanctae Crucis canonice erectum est, Exc.mus Dominus D. Alvarus Del Portillo, Operis Dei Praelatus, magnam convenientiam huic Congregationi de Institutione Catholica manifestavit internationalis Collegii Romae quam primum condendi, in quo alumni praefatum Athenaeum de suorum Episcoporum consensu frequentantes exciperentur. Agitur enim non solum de obvia urgenti necessitate a praesentibus rerum adjunctis determinata, sed etiam de antiquo Venerabilis Servi Dei Josephi Mariae Escrivá, Operis Dei fundatoris, desiderio in effectum deducendo qui, ardenti erga Ecclesiam et Summum Pontificem amore motus, enixe semper exoptabat, ut apud Petri Sedem sacerdotalis formationis cenaculum erigeretur, in quo sub suorum sacerdotum ductu alumnis e variis mundi partibus provenientibus solida spiritualis, disciplinaris-humana et pastoralis praeparatio praebetur canonis normis plene respondens. Nobilem hunc finem Personalis Praelaturaे Moderatores igitur persequentes, opportuna consilia cum Sancta Sede inierunt atque demum, in proposito suo confirmati, adumbratum Statutorum et Regularum specimen Congregationi huic proposuerunt una cum petitione ad dicti Collegii canonicam erectionem obtinendam. Quapropter haec Congregatio de Institutione Catholica (de Seminariis atque Studiorum Institutis) cum sibi proposita illa documenta probe perspexerit atque ceteras requisitas condiciones ad erectionem exploraverit easque rite adimpletas repererit,

COLLEGIUM ECCLESIASTICUM INTERNATIONALE "SEDES SAPIENTIAE"

Personalis Praelaturaे Operis Dei Romae ad normam Can. 237, §2 **erigit erectumque declarat**, atque decernit ut regatur Statutis et Regulis pariter ad normam eiusdem Canonis approbatis. Commendatur, insuper, ut si quid in posterum in dictis Statutis et Regulis mutandum vel emendandum visum fuerit, communi consilio cum Sancta Sede procedatur; servatis ceteris de iure servandis, contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus Congregationum, d. IX m. Ianuarii a.D. MCMXCI.

PRO-PRAEFECTUS

Pius Laghi

A SECRETIS

+ Josephus Saraiva Martins